

lior est censendus, ubi sunt motiva validiora ad illum impellentia: sed consequens est falsum, quia sublata difficultate credendi tollitur etiam fidei meritum; ergo.

R. N. m. *ejusque prob.* Imprimis enim ad meritum non requiri absolute difficultatem seu operis arduitatem, si libertas et cætera requisita adsint, patet in Christo, qui Deum sine difficultate amabat et hoc amore perfectissime merebatur: deinde nec ipsa credibilitatis evidentia omnem credendi difficultatem remouet; eo quod per illam non impediatur, quominus ratio naturalis plura argumenta opponat, ac præterea satis arduum sit solam credibilitatis evidentiam præferre naturalibus ejusmodi rationibus circa ipsam articuli veritatem, quæ evidenter falsæ non demonstrantur.

ARTICULUS III.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT ETIAM EVIDENTER VERI?

95. *Nota I.* Res evidenter vera tunc est, quando res vel in se ipsa ac immediate, vel in motivo infallibili ac mediate ita se habere clare cognoscitur, sicut actus enuntiat. Quia vero illud motivum, quo articulus fidei verus esse cognoscitur, est testimonium Dei loquentis, evidentia prior dicitur *rei attestata* vel revelatione divina dictæ ac confirmatæ; posterior autem vocatur evidentia *in attestante* seu de revelatione. Sed hæc iterum potest esse vel immediata vel mediata; quia ipsa revelatio *in se* potest esse evidens, qualem subinde habuisse Prophetas concedunt plures: vel potest esse evidens *in et ex signis credibilitatis*, qualem non negant dæmonibus signa hæc profundius penetrantibus, et forsitan non negandam esse viris quibusdam sapientioribus putat SUAREZ hic disp. 3. sect. 8. Porro articuli fidei Catholicæ alii versantur circa doctrinam juris naturalis, alii circa doctrinam juris supernaturalis.

96. *Nota II.* Supponi hic potest, 1º. articulos plures circa doctrinam *juris naturalis* per se ipsos et evidentia immediata esse evidenter veros; alios etiam naturali ratione posse demonstrari positive tanquam veros: 2º. e contra articulos circa doctrinam *juris supernaturalis* nec immediate ac ex terminis evidenter esse veros, nec ratione positiva demonstrari posse, ut ostenditur in Tr. de Trinit. contra Raymundum Lullum, et docet S. THOMAS p. 1. q. 32. a. 1. in 0. ubi frivolos quorundam in demonstranda Trinitate conatus retundit, eosque dupliciter fidei derogare probat: 3º. articulos fidei circa *utrumque jus* per signa credibilitatis id saltem consequi, quod sint moraliter certi, atque hinc omnem circa eos prudentem formidinem excludi, in quo moralis certitudo consistit. Quæstio itaque duntaxat versatur de evidentia veritatis articulorum *mediata* per signa credibilitatis, an scilicet ex signis credibilitatis ita evidens fiat religio Catholica et veritas articulorum fidei, ut ne quidem imprudenter quis de ea veritate formidare possit, sed absque voluntatis imperio intellectus evidentia signorum convictus rapiatur ad assensum?

97. *Dico.* Articuli fidei nostræ *communiter loquendo* non sunt evidenter

veri seu evidentes in attestante, evidentia proprie tali excludente formidinem etiam imprudentem.

Prob. Rudes et indocti nec penetrant nec considerant signa credibilitatis: quamvis vero auctoritas Parochi et Instructorum valeat plurimum apud illos, et forsitan plus quam signa credibilitatis apud doctos; hæc tamen apparentia quantacumque non est stricta evidentia; tum quia non rapit intellectum ad assensum excluditque formidinem imprudentem: tum quia hac exclusionem etiam gratis data, id non facit claritas signorum credibilitatis, sed inadvertentia rudium, et quod non occurrant motiva contraria: unde fit, ut, si alius æqualis auctoritatis proponat oppositum, rudis statim hoc credat, vel formidet de veritate ipsi antea proposita. Si vero articuli fidei essent evidenter veri et revelati, evidentia stricta et propria, viris etiam *cultioribus* et *doctis*, communiter loquendo, 1º. non foret ipsis arduum credere; 2º. nullam experientur tentationem contra fidem: 3º. difficilior illis accederet cohibere intellectum ab assensu, quam ad hunc impellere: 4º. imo ex natura evidentiae raperentur ad assensum fidei, et non requiretur imperium voluntatis ad firmiter et immobiliter credendum, nec esset libertas credendi: sed hæc omnia repugnant tum experientiae tum aliis principiis fidei; ergo.

Respondent I. Assensum fidei non esse quidem immediate liberum, quatenus, supposita evidentia signorum et veritatis articulorum, possit assentire vel dissentire; esse tamen *mediate liberum*, quatenus voluntas libere applicat intellectum ad consideranda hæc signa.

Sed contra est 1º. quia pari ratione libera posset dici scientia seu actus scientificus et evidentia, quæ ex visione oculorum habetur. 2º. quia ipse fidei assensus in se debet esse liber, ut liquet *primo*, ex Marc. 16. ubi Christus exprobrat incredulitatem eorum, qui, dum viderant Christum et audierant signa credibilitatis de ejus resurrectione, non crediderunt: *secundo*, ex Conc. Araus. II. Can. 5. ubi credulitatis affectus, quo credimus, dicitur donum Dei et gratia, quæ necessitatem non infert: *tertio*, ex Trid., quod liberam dicit fidem post auditam prædicationem et consequenter penetrata credibilitatis signa; cum Sess. 6. cap. 6. sic loquatur: *Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt.*

Respondent II. Fidem manere catenus liberam, quatenus voluntas per *piam affectionem* vel imperat assensum, non propter evidentiam signorum, sed propter solum testimonium Dei, ita ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet illam evidentiam; vel quatenus, in reverentiam auctoritatis divinæ, imperat assensum firmiter, quam mereantur signa credibilitatis; cum firmitas indefectibilitatis in actu fidei supernaturalis major sit illa firmitate, quæ provenit a naturali tantum evidentia objecti sive per se sive per credibilitatis signa.

Sed contra *utramque partem* est, quod in evidentia, utpote necessitante, rapiatur intellectus, quin imperium voluntatis in hoc negotio assensus partem ullam habere possit: et si haberet locum, deberet semper elici actus duplex fidei, alter nempe necessarius prout evidentiae correspondet, alter liber quoad assensum vel præcise testimonio præstitum, vel cum majore firmitate indefectibilitatis elicium; quod quia non experimur, gratis omnino fingi convincitur.

Singulariter vero contra *part. 1^{am}*. est, tum quod ejusmodi voluntatis imperium vix ullus nisi doctus, ac nonnisi in articulis ad doctrinam juris naturalis pertinentibus experiri solet: tum quod intellectus etiam liber non est ad testimonium Dei repudiandum vel amplectendum, cum supponatur esse evidens; adeoque etiam voluntas non possit eligere assensum propter hoc potius, scilicet testimonium, quam propter aliud: tum denique quod assensus fidei, communiter loquendo, est absolutus et directus, neque eam conditionem aut actum reflexum connotat, qua dicat voluntas: parata forem assentiri, etsi non haberem illam evidentiam.

Contra *2^{am} part.* est, tum quod intellectus per fidem non solum captivatur ad firmissime sed etiam ad simpliciter assentiendum; quod tamen hic non fieret per fidem liberam a Conciliis et Patribus absolute assertam, sed per evidentiam necessitantem: tum quod firmitas intensiva, seu quæ se tenet ex parte voluntatis majorem conatum in se firmanda adhibentis, non spectat ad substantiam et essentiam actus fidei etiam supernaturalis; firmitas vero indefectibilitatis, quæ est in actu supernaturali, cui implicat subesse falsum, habetur unice ab infallibilitate objecti maxima atque connexionione actus cum illa, non autem a voluntatis imperio et libertate; utpote cui non datur discretio ac electio inter actum supernaturalem qui talem firmitatem infert, et naturalem, ex dictis num. 23.

98. *Obj. I.* Evidens credibilitas nostræ religionis est evidens credibilitas supra omnes alias sectas, imo illas evidenter facit prudenter incredibiles: sed hoc ipso infert evidentiam veritatis nostræ religionis; ergo. *Minor* constat; quia hæc sunt duo principia evidentia: Religio in mundo cæteris credibilior est vera; et illa religio est vera, quæ sola est prudenter credibilis; ergo si sola nostra evidenter sit prudenter credibilis, ac credibilior præ aliis, est evidenter vera. *Ant.* tanquam fundamentum adversariorum *prob.* 1^o. Evidens est Deum non posse permittere falsæ religioni tantam apparentiam veritatis, aut majorem credibilitatem, ac permisit nostræ, quæ vera est; ergo. 2^o. Evidens est quod non conqueramur de Deo tanquam de seductore in materia religionis: sed evidens est nos posse conqueri de Deo tanquam seductore, si religio cæteris credibilior et sola prudenter credibilis esset falsa; ergo. 3^o. Evidens est aliquam religionem in mundo esse veram: sed evidens est alias sectas esse falsas, utpote prudenter incredibiles; ergo. 4^o. Evidens est Deum esse colendum, etiam speciali illo modo, quo ipse vult: sed evidens est modum, quo ipse vult coli, esse illum, qui nobis evidenter proponitur ut credibilior, et qui solus proponitur ut prudenter credibilis; ergo.

R. N. m. Ad ejus Ass. D. A. Hæc principia sunt evidentia absolute et sine facta suppositione prævia *N.* ex suppositione quadam prævie admissa *C.* Duo sunt, quæ supponere oportet, 1^o. quod Deus instituerit aliquam religionem supernaturalem, quæ multa doceat præter illa, quæ sunt juris naturalis, quodque illam voluerit esse necessariam ad salutem: 2^o. quod nullum detur peccatum inficiens humanum genus, in cujus pœnam permittat, ut omnes etiam prudenter operando decipiantur. Gemina hac suppositione facta, evidens quidem est utrumque principium; quia si his suppositis falsa esset religio prudenter credibilior aliis, Deus sine ulla nostra culpa redderet

generi humano inevitabiliter impossibilem consecutionem ultimi finis, quod evidens absurdum est. Neutrum tamen *absolute* est evidens; quia utraque illa suppositio, antecedenter ad fidem, solum est moraliter certa, tanquam geminus articulus ex articulis nostræ religionis: non enim evidens est, Deum instituisse religionem supernaturalem ut medium necessarium ad salutem; neque evidens est Deum, non permittere communem deceptionem in pœnam alicujus peccati communis: stante autem hac evidentiâ, nequit esse absolute evidens veritas religionis prudenter credibilioris; quia ex hujus falsitate nullum apparet evidens absurdum, eo quod in hoc casu Deus non absque culpa ac merito injiceret necessitatem amittendi finem ultimum. Sub simili distinctione *R. ad probationes* omnes, quæ non sunt nisi phrasæ diversæ de eadem re.

De 3^o. tamen præterea notandum, illius *M.* esse veram, si sumatur *indeterminate*; non tamen evidens est, determinate hanc vel aliam esse veram, multo minus autem hanc supernaturalem.

Ad 4^{am}. etiam *D. m.* Evidens est, modum, quo Deus reflexe vult coli, esse illum, qui nobis evidenter proponitur ut credibilior *C.* modum, quo directe vult coli *N.* Deus etiam *reflexe* vult coli per mendacium ab illo, qui invincibiliter judicat hic et nunc esse mentiendum ad Dei honorem: *directe* tamen et per se non vult talem cultum. Quia nempe evidens est Deum velle, nos operari juxta dictamen conscientie invincibiliter proponentis aliquem Dei cultum ut debitum, Deus reflexe vult coli cultu prudenter credibiliore; unde tamen non sequitur, evidens esse, quod Deus directe velit talem cultum, neque quod iste directe sit verus Dei cultus.

99. *Obj. II.* Ex Scriptura et Patribus, Ecclesia et vera religio est visibilis, potest discerni et inveniri: sed talis esse nequit, nisi sit evidenter vera; ergo. *Conf. 1.* Patres in libris, quos pro nostra religione scripserunt, contenderunt demonstrare ipsius veritatem et evidenter convincere adversarios, ut patet ex *S. AUG. L. de vera Relig. c. 2.*, *S. CHRYS. Or. quod Christus sit Deus. ARNOB. L. 2. cont. Gent.*, *ORIGEN. hom. 30. in Matth. aliisque*, quos recitat *Elizalde*; ergo. *Conf. 2.* Miracula et prophetiæ evidenter ostendunt veritatem Catholicæ religionis; nam præterquam quod *S. TH. 2. 2. q. 3. a. 2. et p. 3. q. 47. a. 5.* hanc virtutem miraculis tribuat, ostenditur hoc, *primo* quia evidens est veram esse religionem, in cujus confirmationem facta sunt vera miracula et impletæ prophetiæ: sed evidens est hæc contigisse in confirmationem fidei nostræ; ergo. *Secundo* quia Judæi videntes signa et miracula facta a Moyse, evidenter cognoverunt veritatem suæ religionis; ergo idem dicendum est de religione nostra.

R. D. M. Ecclesia est visibilis, potest discerni etc. credibiliter seu per evidentiam credibilitatis *C.* scientifice et per evidentiam veritatis *N.* Idem sensus est *S. THOMÆ*, dum *q. 1. a. 4. ad 2. Dicendum*, ait, quod ea, quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali; et sic non possunt esse simul visa et credita: alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis; et sic sunt visa ab eo qui credit.

Ad Conf. 1^{am}. D. A. Contenderunt demonstrare religionis veritatem ut evidenter credibilem et credendam *C.* veritatem ipsam ut evidentem seu

evidentiam veritatis *N.* Idem est, si cum BELLARM. L. 4. de Notis Eccles. c. 3. dicatur, contendisse quidem demonstrare veritatem evidentia consequentiae, non autem consequentis. Illi enim, positis et admissis Scripturis, evidenter deducebant veritatem religionis nostrae contra Haereticos et Judaeos Scripturarum receptores, cujus credibilitatem duntaxat ex signis aliis ostendebant. SS. Patres veritatis evidentiam non intelligebant talem, quae formidinem etiam imprudentem excludat et rapiat ad assensum, sed minus propriam tantum; tum quia ipsi se distinguebant a *Manichaeis*, qui nihil credendum contendebant, nisi prius ratione demonstraretur tanquam verum, contra quem errorem, aliquando suum, S. AUG. agit L. de utilit. credendi; tum quia ipsi commendabant laudabilem liberamque fidem, ad quam, evidentia credibilitatis et obligationis credendi proposita, alios perducere satagebant.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. Ass. Miracula et prophetiae evidenter cognita ostendunt evidenter veritatem *C.* non evidenter cognita, seu ut communiter cognoscuntur *N.* Auctoritatem S. THOMAE ad evidentiam credibilitatis tantum pertinere, liquet ex textibus citatis. *Ad prob. 2^{am}. N. min.* Ad evidentiam *miraculorum ac prophetiarum*, requiritur evidens cognitio quod sit vere miraculum aut vere praedictum spiritu prophetico ac Deo inspirante, et quod simul factum fuerit aut inspiratum a Deo in confirmationem alicujus doctrinae. Haec autem evidentia *communiter loquendo* non habetur; cum miracula nobis solum proponantur a Scriptoribus sapientissimis quidem et sanctissimis ac Ecclesiasticis Historiis, sed quae solum faciant evidentiam credibilitatis et moralem certitudinem de veritate miraculorum ac prophetiae, ac consequenter etiam de veritate religionis. Quin Cardinalis DE LUGO, non dissentiente SUAREZIO, judicat miracula etiam visa ab Apostolis et Judaeis, v. g. resurrectionem *Lazari*, non attulisse illis strictam evidentiam de veritate, per illa confirmata; tum quia videntes haec imprudenter saltem formidare poterant, an essent *vera miracula*, an daemorum praestigiae a Deo in poenam alicujus peccati permissae; tum quia aequae imprudenter formidare poterant de intentione Dei in patrandi miraculo, eo quod evidens non sit quod Deus nequeat concurrere ad verum miraculum, quo minister insensibiliter abutatur in confirmationem falsae doctrinae; unde *Judaei*, quamvis imprudentissime, dicebant Christo: *Tu daemonium habes, et in principe daemiorum ejicis daemonia*. Similiter de prophetiis non est evidens, vaticinia V. T. esse *veras prophetias*; quia non est evidens illorum sensus, neque evidens est ea non fuisse mere casualiter impleta. Hinc *ad 2^{am}. prob. potest N. Ant.* Sed eo etiam transmissio, nihil contra nos infertur: tum quia respectu nostri habetur apertum discrimen; tum quia solum asserimus, *communiter loquendo* non dari evidentiam.

100. *Obj. III.* Quaecumque argumenta proxime allata sunt contra evidentiam veritatis, etiam pugnant contra evidentiam credibilitatis; ergo vel neutra, vel utraque evidentia est asserenda. *Conf.* In materia religionis, quod est moraliter certum, est moraliter evidens; tum quia omnis certitudo comparata per rationes est evidentia: tum quia certitudo moralis proponit objectum ut indubitabile. Sed ex signis credibilitatis etiam juxta nos oritur moralis certitudo de veritate mysteriorum; ergo.

R. N. A. Disparitas est, quia ad hoc ut aliquid sit *evidenter credibile*, sufficit adesse tam clara motiva, quibus convincatur intellectus, quod possit prudenter adhiberi fides. Jam vero licet miracula v. g. absolute loquendo possint esse falsa vel imprudenter existimari esse permessa in confirmationem falsi; tamen extorquere possunt illud judicium prudens de fide habenda, quia non illud tantum fide prudenti dignum est, quod absolute aliter esse nequit, sed etiam illud quod certo apparet ita esse, quamvis absolute aliter esse queat. E contra sicut ad veritatem rei requiritur, ut absolute aliter non sit, aut de facto esse non possit, ac actus enuntiat: ita ad evidentiam veritatis requiritur, ut motiva convincant intellectum, quod res aliter non sit, aut de facto esse non possit, ac motiva ostendunt: id vero praestare nequeunt motiva ejusmodi, quia ipsa forte falsa sunt, aut absolute falsa esse possunt, aut saltem imprudenter sic existimari queunt.

Ad Conf. R. N. M. ut patet ex num. 90., et ex cujus supposito hic tantum loquimur. *Ad prob. 1^{am}. D.* Certitudo comparata per rationes evidentes est evidentia *C.* per rationes inevidentes *N.* *Ad prob. 2^{am}. D.* Certitudo moralis in materia religionis proponit objectum ut indubitabile quoad credibilitatem *C.* quoad veritatem *subd.* indubitabilitate prudentiae, h. e. ut prudenter indubitabile *C.* indubitabilitate scientiae ac evidentiae *N.*

101. *Obj. IV.* Credibilitas mysteriorum est credibilitas cujuslibet mysterii ut veri, sicut amabilitas objecti est amabilitas objecti ut boni; ergo sicut evidens amabilitas infert evidentem bonitatem, ita evidens credibilitas infert evidentem veritatem. *Conf.* Evidens credibilitas mysteriorum fidei est evidens locutio, qua Deus nobis illa revelavit: *item* evidens credentitas est evidentia de Dei praeepto, ut credamus; ergo est etiam evidentia veritatis, quia evidens est Deum, non posse revelare falsum, nec praecipere posse ut credatur falsum.

R. N. Conseq. Disparitas est, quia *credibilitas mysterii* ut veri nihil aliud est nisi apparentia veritatis extrinseca seu proveniens ab argumentis rei extrinsecis; cum autem veritas habeatur tantum ex eo quod res ita se habeat in se ipsa, etiam evidens apparentia veritatis non infert veritatis evidentiam, si quidem res in se falsa aliquando habet magnam, imo evidentem apparentiam veritatis. E contra *amabilitas objecti* est ipsa bonitas intrinseca objecti, aut saltem sic debet supponi; si enim non haec, sed extrinseca duntaxat, et in motivis bonitatem objecti extrinsece suadentibus posita, intelligatur, potest aliquid evidenter etiam apparere amabile, quin tamen in se sit bonum, atque hinc evidentia amabilitatis non inferat evidentiam bonitatis.

Ad Conf. R. 1^o. N. 1^{am}. p. Ant. Tum quia etiam vera miracula aliaque signa credibilitatis, prout vere physice sunt, non sunt in seipsis locutio divina, secundum communem Theologorum opinionem: tum quia evidens etiam credibilitas nostra non fundatur in illis signis, prout physice vera sunt in seipsis, eo quod, ex dictis nuper, non sit evidens illa esse vera miracula aut vere ad locutionem Dei firmandam facta; sed fundatur in illis inevidenter quoad hanc veritatem cognitis, ac plerumque ut traduntur in historiis ac monumentis fide dignis, quae tamen non faciunt evidentiam de illorum veritate. *2^{am}. p. D.* Evidens credentitas est evidentia de Dei praeepto

directo, ut credamus *N.* de præcepto reflexo *C.* Similiter etiam *prob. 2^æ.* *Cons. D.* Evidens est Deum non posse directe præcipere, ut falsum credamus *C.* non posse præcipere reflexe *N.*

ARTICULUS IV.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDENDI?

102. *Nota I.* Credendum illud est, quod quis non tantum prudenter potest sed etiam tenetur credere. Sumitur vel negative vel positive; *negative* credendum est, quod quis negare non potest, vel quod cuiquam non permittitur liberum, ut credat vel non credat, assentiatur vel dissentiat: *positive* credendum est, circa quod quis tenetur elicere assensum fidei. Porro fides elicenda potest esse vel explicita vel implicita; *explicita* est, qua quis aliquem articulum credit in particulari, eo quod in particulari sciat esse articulum revelatum; et sic credimus mysterium *Trinitatis*, *Incarnationis* etc.: *implicita* dicitur, qua quis aliquem articulum solum credit in communi, credendo scilicet quidquid Deus revelavit et Ecclesia credit, licet in particulari non sciat aliquod mysterium esse a Deo revelatum; et sic etiam simplex rusticus credit singula mysteria, licet aliqua in particulari ignoret. Fides *explicita* subdividitur in necessariam necessitate medii vel præcepti: *necessaria necessitate medii* est, quæ ex natura ipsius rei necessaria est ad justificationem et salutem; seu quæ de aliquo explicite credendo ita requiritur, ut qui illud etiam invincibiliter ignorat, salutem non consequatur: *necessaria necessitate præcepti* est, quæ solum ex præcepto Dei positivo requiritur ad salutem, seu quæ de aliquo explicite credendo positive quidem præcepta est, ita tamen, ut qui illud invincibiliter ignorat, non hoc ipso impediatur a consequenda salute. Jam vero convenit quidem inter *Catholicos*, paucos articulos necessario esse explicite credendos necessitate medii, imo ne quidem omnes credendos explicite necessitate præcepti, sed sufficere *fidem implicitam* circa plures veritates a Deo revelatas; atque hoc sensu concedunt alios articulos dici posse *fundamentales*, nempe illos qui sunt necessario credendi necessitate medii; alios autem dici posse *non fundamentales*, qui nempe non sunt hac ratione necessario credendi: verum et unanimiter negant ullam veritatem a Deo revelatam dari; quæ non sit credenda negative, h. e., quam quis negare libere possit, aut affirmare vel inficiari cuiquam liberum sit.

103. *Nota II.* Diversus ab hac sententia error est non tantum *Libertinorum* seu *Indifferentistarum* quasi *paganorum*, qui quemlibet docent in sua secta salvari posse, modo unum Deum agnoscat eumque juxta sectæ suæ leges seu propriam rationem colat; sed etiam *Adiaphoristarum*, *Syncretistarum* aut *Indifferentistarum Christianorum*, qui pro diversitate suarum classium vel articulos de Deo tantum et Christo confuse cognito, vel mysteria etiam præcipua Christi et SS. Trinitatis, vel symboli Apostolici aut etiam Athanasiani articulos vocant *fundamentales*, substantiales, essentielles, et ad salutem consequendam necesarios; reliquos vero omnes vocant *accidentales*, arbitrarios, adiaphoros et non *fundamentales*, seu tales, quos credere

vel non credere quis possit pro libitu et citra periculum salutis. Horum errores refutandi sunt.

104. *Dico I.* Articuli nostræ fidei evidentiter credendi sunt assensu firmissimo, seu explicito seu implicito.

Prob. Quoties est moraliter certum Deum aliquid revelasse, hoc *credendum* est assensu firmissimo: sed ex signis credibilitatis moraliter certum est Deum revelasse articulos fidei nostræ; ergo credendi sunt assensu firmissimo etc. *Maj.* est evidens ex terminis, sicut evidens est, obediendum esse superiori, quando moraliter certum est illum aliquid præcipere; Deus enim dum aliquid revelat, sicut etiam homo dum loquitur, exercite exigit nostram fidem: certum item est ex terminis irrogari injuriam illi, cui non creditur, si moraliter certum sit eum fuisse locutum.

105. *Dico II.* Distinctio articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, ex sensu *Indifferentistarum* facta, nullatenus est admittenda.

Prob. I. Omnes articuli a Deo revelati sunt æqualiter veri ac certi; quia nituntur eadem auctoritate divina infallibili; ergo vel omnes vel nullum negare possumus, aut *negative credere* tenemur: quia qui negat articulum non fundamentalem, æque spernit Dei auctoritatem ac negans fundamentalem.

Conf. Quivis vere Christianus debet habere hunc actum: *Credo omnia, quæ Deus revelavit*; quia dum credit unum articulum fundamentalem, quia est revelatus, si revelatio divina vera sit causa cur hunc credat, hoc ipso implicite credere debet et alia revelata; alias locum habet illud S. AUGUSTINI L. 17. cont. Faust. c. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* Ergo nullum articulum, a Deo in Scriptura vel alibi revelatum excludere, potest a sua fide aut negare; quia alias sibi contradiceret, affirmata scilicet universali et negata particulari propositione.

Prob. II. Distinctio articulorum in fundamentales et non fundamentales eorumque determinatio nec potest ostendi ex *Scriptura*, utpote quæ nullam hujus rei mentionem facit: nec accepta est ab *Ecclesia*; quia si hæc orthodoxa sumatur, contradicit aperte: si autem confingatur ex omnibus sectis; jam hos jam illos et quidem contradictorie oppositos designat: neque repeti debet a *spiritu privato*, quia hic insanus est omnium errorum magister et auctor dissensionum.

Conf. Quicumque statuuntur ab *Indifferentistis* articuli fundamentales, sunt ejusmodi, præter quos Ecclesia Catholica alios adhuc credendos proponit; sicut in prioribus seculis contra Arianos, Nestorianos, Eutychianos etc. proposuit. Ergo et alii non fundamentales habiti credendi sunt juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

106. *Dico III.* Ad salutem non sufficit, ut quis credat articulos fundamentales, si interim aliorum satis propositorum unum non credat, sed neget vel discredat.

Prob. I. Ad salutem non sufficit, ut quis servet plura præcepta, si vel